

1255

CODICES

1256

DLX.

- R¹¹²⁸ Codex membraneus lat. Sec. partim XIII. partim XII. Folior. 271. 4. maj. cum per duas columnas, tum lineis longis, maximam partem, quamvis non ab una manu, eleganter exaratus, rubricis distinctus, et quondam Collegii Viennens. S. J. e variis membranis confarcinatus est, quorum contenta indicabo. I. *Incipit tractatus de articulis fidei et ecclesie sacramentis editus a fratre, adde Thoma de Aquino*, pro quo Rubricatori spatium defuit. Relatus jam et hoc et superiori *Vol.* quod vide P. II. col. 2435. incipit: *Postulat a me uestra dilectio ut de articulis fidei &c. finit vero: Sit honorabile connubium et thorus immaculatus.* Itaque abest, quod in edit. Rom. 1570. T. XVII. fol. 64. f. de septem glorie dotibus adtextitur. II. fol. 6. *Expositio symboli secundum fratrem thomam.* Ejus initium: *Credo in unum deum patrem omnipotentem &c. Primum est necessarium christiano cuilibet fides, sine qua nullus &c.* Est editionis mox cit. fol. eod. *Opusculum Sextum*, quod hic in Codice deficit ante finem in verbis: *Exaggeratur autem pena eorum Primo ex separacione dei — —.* III. fol. 17. p. 2. praeunte Praefatione: *Hec est pars libri numeri cum glosa.* Reipsa tantum usque ad C. XI. v. 29. Loca PP. quae Praefationem conficiunt, non ita sunt ordinata, ut hodie in *Bibliis glossatis* v. g. *Lugduni 1545.* f. habentur. Hoc Sec. XII.

IV. fol. 45. p. 2. continuo manu Sec. XIII. adscriptus est *Catalogus Pontificum Rom.* a D. *Petro ad Gregorium II.* qui incipit: *Petrus apostolus tenens sacerdotalem cathedram in antiochia annis VII. et mens. uenit romam ibique XXV. annis et mensibus VII. diebusque VIII. pontificatum tenuit.* Ita per singulos censentur anni, menses et dies regni additis etiam diebus interregnorum. *Clemens* medius ponitur inter *Cletum* et *Anacletum.* *Anicetus* praeponitur *Pio.* *Hormisdas* omisus, et *Honorius*, nescio cur, solus minio scriptus est. Chronologiam Pontificum mire variare notum est. In P. *Richardi O. P. Dictionnaire Univ. des Sciences eccl.* T. IV. p. 799. tres praecipuae computandi rationes *Blanchiniana*, *Pagiana* et quae est *Autorum de l' Art de verifier les Dates* &c. opportune conjunctae sunt.

V. fol. 47. ab elegante manu Sec. XII. succedit *Evangelium S. Matthaei*, et quidem Glossis ex ordinaria et interlineari selectis stipatum.

VI. fol. 106. brevis Differtatio de Christi resurgentis Adparationibus, quae incipit: *Prima sabbati diluculo, sicut omnes conueniunt, uentum est ad monumentum. Jam factum erat, quod solus matheus ait, de terre motu, et reuoluto lapide et territis custodibus &c.* 2) Alia Differtatio hujus argumenti: *Questio sepe uentilata est, qua iusticia anime puerorum, qui ante baptismum moriuntur, damnentur. Corpus quidem, cuius seminarium fuit*

fuit in adam, si contrahit maculam originalem, non ita vehementer ammirandum est, anima uero, que ab optimo factore deo facta est, de corrupta non descendens massa, nec ex dispositione sua corpus illud, cui unitur, amare presumens, sed ex uoluntate creatoris sui, ubi ab ipso posita est, ibi obedientiam suam seruans mirum uidetur, quare damnari debeat. Expenis ultro citroque omnibus concluditur: Illud pro certo affirmare possumus, quod leuissime anima punietur, si ante baptismum a corpore separatur. Quod si baptismum susceperit puer, mundatus est. 3) post Articulum quendam penitus extritum exponitur Significatus biblicus uerbi Percussio ita: Percussionis diuersa genera sunt. Alia namque est percussio, qua peccator percutitur, ut sine retractione puniatur &c.

VII. fol. 107. In christi nomine Incipiunt omelie sancti gregoriij pape. In extremam partem ezechielis prophetę. Omelia prima. Videlicet, si post Homiliam XII. novum Librum II. auspicaris, secus est tertiadecima, et incipit a Praef. Quia multis curis prementibus &c. ut edit. Maur. T. I. col. 1307. A uerbis Homil. III. col. 1332. Mens itaque, quae jam talis est, nullam praesentis vitae consolationem recipit, in Codice, fol. 124. p. 2. transpositis locis oritur turbatio, quae non nisi cum Homilia VI. plene componitur. Ceterum Textus, quatenus contuli, non nisi in minutiis ab Editis abludit.

VIII. fol. 195. Nicolaus de lyra super epistolam ad hebreos. Nomen Lyrani jam oculatior quidam eradere coepit. Est enim Glossa ordinaria eo uetustior, passim Walafrido Strabo ejusque Magistro Rabano Mauro tributa, cujus initium est: Paulus doctor egregius gentium apostolus ministerium suum uolens honorare &c. Editiones uero jam Sec. XV. coeptae.

IX. fol. 216. Comentum super Boetium de consolatione. Manus Sec. XIII. eadem cum praecedente. Init: Boetius iste nobilissimus ciuis romanus fide catholicus extitit. qui contra nestorium et eutichen duos maximos hereticos cum non esset qui eis responderet disputauit &c. Parum expectes ab homine, qui Cyrillum Alexandr. Leonem M. Petrum Cbrysol. Vigilium &c. ignorauit. Multa, quae hinc inde adfert, leguntur etiam in Commentario sub Thomae Aquin. nomine jam Sec. XV. saepius excuso, cujus tamen editionem principem Norimb. per Ant. Coburger 1473. f. splendide curatam non uiderat Quetifus. Notat ille T. I. p. 343. duplicem ferri Boethii Expositionem Thomae tributam, neutram tamen sibi uideri Doctoris sui. Neque ego aliud dicere habeo, nisi praesentem nostram antiquitate cum utraque illa certare. Unum obiter addo: a Bern. Pezio in Dissert. Isagog. T. IV. Thes. Anecd. p. 24. detectum esse autorem Versionis teutonicae Boethii, quam Coburgerus praedictae editioni inseruit, M. Petrum Presb. Professum Monaste-

nasterii in Castello O. S. B. in Reichenbach constitutum. Testatur id ad an. 1401. Andreas Presb. Ratisbon. Tom. cit. in Chronico suo col. 598.

X. fol. 247. Commentaria in Epistolam Pauli ad Romanos perducta usque ad C. V. v. 6. et ab hac Praefatione inchoantia: *Sicut legis ita euangelij perfectio consistit in tribus. preceptis promissis sacramentis. Erant enim in lege precepta quedam moralia, quedam figuralia. Moralia erant que solum morum continent instructionem et nichil ex eis intelligitur. preter quod ex significatione uerborum perpenditur. ut non occides et similia &c.* Hinc ad Epistolas, et primam nostram ita descenditur: *Inter quas prima ponitur, que ad romanos mittitur, non quod eam primam scripserit. sed propter sententiarum difficultatem &c.* Apud nullum Pauli Interpretem, quorum bene multos consului, haec deprehendere datum est, unde me oculatioribus arbitrium defero.

XI. fol. 261. Commentaria in Threnos Jeremiae congesta praecipue e Gisleberti seu Gilberti, quem nescio, an Westmonasteriensem, an Svinsetensem Abbatem habeam, et Paschasi Radberti Expositionibus. Gislebertus ita inchoat: *Lamentaciones hieremie membro patet orationis maxime distinguui uel dissoluto colorari. Res enim breuiter absoluta sine tocius sententiae demonstratione dicitur que alio orationis membro excipitur &c.* Introductionem hanc continuo excipit Expositio C. V. seu

Orationis Jeremiae, et non nisi post 7. folia interiecta pervenitur ad C. I. in quo etiam Codex abrumptur. Porro 7. illa folia interiecta prosequuntur Commentaria in Epistolam ad Rom. superius N. X. inchoata, et ea perducunt ad finem C. XI. in quo et ipsa abrumptur, ut adeo cum Scriptoris, tum Compactoris vitio non parum hic turbatum sit.

DLXI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 618 XIII. Folior. 252. f. per duas columnas luculente et probe exaratus, coloribusque illustratus, quem Theologus noster Petrus de Pulka, ut in fronte praescriptum est, emit a Nicolao de Hebersdorf Med. Doctore, et a Petri Heredibus redemptum Thomas Haselbachius Collegio Ducali legavit, continet I. Thomae Aquin. O. P. dicti Doctoris Angelici et a. 1274. vivis exenti Quaestiones XVI. de Malo disputatas. Initium est: *Questio est de Malo. Et primo queritur. an malum sit aliquid. Et uidetur quod sic. Omne enim creatum &c.* Finis vero: *impedit usum rationis in homine sicut patet in arrepticiis.* Igitur integrae, pro ut extant in Edit. Rom. Opp. omn. 1570. T. VIII. et Paris. 1660. T. XII. p. 191. f. Subjecit Amanuensis noster: *Explicit De Malo et Dyabolo. Terminus bis esse digneris virgula Jesse.*

II. fol. 98. Questio prima de potentia dei. Sequuntur IX. aliae. Initium est: *Questio est de potentia dei.*